



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...**

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam  
interpretis donatus

Iter ad coelum in quatuor partium Semitas seu partes, & Fasciculum  
Myrrhæ

**Caraffa, Vincenzo**

**Coloniae Agrippinae, 1660**

cap. 10. De secundo modo per Viam cooperationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49363)

## CAP. X.

*De secundo modo per viam cooperationis.*

Ultra petitionem necessarium est ad consequendum sanctum Amorem, ut quis operetur & cooperetur Divinæ gratiæ.

Hæc cooperatio consistit in duobus, nempe, in negatione cujuscunque alterius amoris, & in frequenti exercitio Divini amoris: quæ duo à Divo Augustino vocantur: *Sæculi renunciatio, & ad Deum conversio.*

*S. Aug. lib.  
Hom. 37.*

Primo necessarium est evacuare cor ab omni alio amore: veluti vas, explicat idem S. Doctor, adimpleri nequit uno liquore, nisi primo evacuetur ab altero: *Vas, ut intret mel, unde acetum nondum fudit? Funde, quod habes, ut capias, quod non habes.* q. d. si cor repletum tenes acerbo mundani amoris aceto, quomodo illud adimplere poteris prædulci melle Divini amoris? effunde vanum amorem, ut replearis vero amore.

Explicat idem S. Doctor exemplo manus, quæ, quamdiu rem aliquam apprehendit & tenet, omnino incapax est alterius rei capiendæ, nisi primo deserat illam, quam tenebat: *Putate amorem hominis, quasi manum animæ. Si aliquid tenet, tenere aliud non potest: unde si amat sæculum, Deum amare non potest, occupatam habet manum.*

Quanam esset istius recordia & dementia, qui, manum repletam habens pulvere, ne pulverem proiiceret, non caperet sceptrum & coronam auream, quæ illi porrigeretur? Major est hominis Christiani cæcitas, qui *occupatam habet manum*, nempe, amorem, in pulvere & vanitate mundi, & ne ab illa abstrahatur, non amat, nec desiderat coronas & sceptra, quæ ei promittuntur in cælis.



Secundum, in quo consistebat cooperatio, est omnium amoris exercitium. Quia juxta Philosophum, nobiscum *actum & actus sunt causa habitus, & habitus virtutem* acquiruntur ex frequentatis actibus; ipse vero ex parte juxta doctrinam S. Thomæ considerari potest *secundum intensiorem; durationem & multitudinem.*

*Opus. de dilect. c. 10.* Intensio triplex est: *vehemens, vehementior, mentissima.* Triplex quoque est duratio: *diuturnior, diutissima.* Multitudo pariter est *frequens, frequentior, frequentissima.*

*1. Timor. 4.* Proponit S. Thomas consilium Apostoli: *Exercedite ad pietatem, ad amorem Dei, in actibus cordis, in operis.* Amando Deum, loquendo de Deo, operando propter Deum actibus intensis & continuis, nequeant esse continui per *identitatem*, sint continui per *multiplicationem*, multiplicando sæpe eundem actum, quomodo Sancti Seraphini faciebant, qui quoties repetebant *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Considera, quomodo intensissimum illud Divini amoris incendium, quo Deus amat, & in seipso ardet, non mittit, ut ametur à creaturis actibus frigidis & remissis. Unde defectui huic Beda attribuit casum Adami Parentis nostri, quia remissè agebat & conversabatur Deo: *Adam, quia remissus fuerat in pulchritudine gratiam quam conceperat, amisit eam.*

Quod si in hoc sancto exercitio actibus intensis vehementibus cooperatus fueris Divinæ gratiæ, Deum consequeris amorem.

## CAP. XI.

*De Tertio modo per viam exempli.*

**P**rimò Deum imitaberis in amore. Deus primò infinità & comprehensivâ suâ cognitione cognoscit infinitam suam Bonitatem & Pulchritudinem. Deinde ex hac cognitione pullulat amor quidam pariter infinitus, appetitivus, & intensivus infinitæ cujusdam affectionationis & intensiōis. Tertio ex hoc amore nascitur